

...tharina

... Joan. Theoph. D. Catherinae a Leszno Czarn-

kowska perennitatis mausoleum.



S

SETNANNEREPOBATS TABOPHYDIACO

E MERITÆ LAVDIS NOMEN FERO VERTICE SVMMO
RE MO
CTVM LES
TE
MARMOREO MANES IVSSA PREHENDOSI NV

MOR A
IN TA
AN LA
NOS BO
IN RE
CLY HIC
TA ME
SAR LE
MA CHI
TI A
CI DVM
ME GLO
TE RI
NET

MAGNORVM MANIVM

MAGNO CINERI

ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ

D. CATHARINÆ

A LESZNO

CZARNKOWSKA

PALATINÆ LECZYCENSI

Maioris Poloniæ Generalis

&c. &c.

PERENNITATIS ERIGOR

MAVSOLEVM.

O QVANTOS CINERES PRÆFERO MOLE .ME A
RA STA
SO RE
IV
LI MITE QVI TRANSIS? LAPIS HIC NOMEN TIBI PRÆ BET

A IOANNE THEOPHILO ONISZEVVSKI in Collegio SOC. IESV Posnan. Sacræ Theologiæ Auditore oblatum.



ILLVSTRISSIMÆ CZARNKOVIORVM DOMVS.
FASCIA GENTILITIA.



Splendida pullato CZARNKOWSCIA pegmata luctu
Cur & funereo Parca dolore tegis?
Non potis est renouare tuos Libitina triumphos
Nec tua crude potes ferre trophæa Dolor.
Iam spolium Lechicâ quod nuper parte tulistis
Stelligeri subiit castra beata poli.
Ergo parentales CZARNKOWSCIA Lumina guttas
Tergite! Fletiferas FASCIA terge genas.



PERILLVSTRI
AC MAGNIFICO DOMINO

D. FRANCISCO

A CZARNKOW

CZARNKOWSKI

PALATINIDÆ LĘCZYCENSI
MEDYRECENSI PYZDRENSI
&c. &c.

CAPITANEO

Prosperum in luctu successum.

FEralem Næniam in conspectum educo TVVM PERILLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE Feralem inquam? quia luctuosissimo ILLVSTRISSIMÆ Parentis Tuæ cantandam in funere. Et sane. Funestus enim tantæ Heroinæ obitus, funestus tanti Illustrissimarum Familiarum Splendoris occasus, funestam mihi ad scribendum suppeditat prouinciam. Excessit (heu dolor) è vita vnicum Gentis vestræ Illustrissimæ Decus, & vos omnes, non tantum pullato, intus & extra, vestiuit colore, sed etiam Nobilissimam generis insigne vestri FASCIAM, vberrimo lacrymarum imbre inundantem, madefecit. Extinctum lumen, & tetris Libitinæ obscuratum Nubibus, & vos simul nigricanti mæroris & luctus, obscurauit caligine. O inconstantis fortunæ ludibria? O lubrica & præcipiti innixa Tyche mortalium vota. Fecissent fauentes votis Mortalium superi, PERILLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE, si non hanc lugubrem Næniam, quæ non tantùm vobis omnibus, non tantum Nobilissimæ Amicorum Coronæ, sed & toti Patriæ mæstissimas ex ocu

lis ex-

lis expressit lacrymas; At lætum Pæana, clamosis gloriæ lituis & triumphalibus classicis splendidissimè celebratum, in conspectum eduxissem TVVM. *Sed nec huic educendo tempus denegabit moram? Iam enim videmus quò virtus Tua illustris, laudatissimis Maiornm insistens vestigijs collimat, & quantam nobis spem futuræ gloriæ pollicetur videmus? Cum Te nuper in Comitiis Sredensibus selectissimo Magnatum & Nobilium conspicuis congressu, celebri legationis munere, cum laude & omnium apprecatione functum esse voluit; Nunc verò Martio præcinctum baltheo, Centuriatum Militiæ Primipilum, ad laureatos Acinacis fasces, & laudis adoreas, tum* Tibi, *tum patriæ, gladio longe lateq; propagandas, felicissimè euocat. O vtinam propages relictum Czarnkouianæ Domus ornamentum. Vtinam hoc gladio, quem* Tibi *virtus* Tua *largita est, omnes insultantium impetus, à patriâ nunc vndiq; oppressâ fortissimè præscindas. Præscindet non dubitandum. Aquilam enim ab Aquila degenerare nefas. Fecissent adhuc Superi, si non acerbæ mortis Mausoleū ferali & luctuosa stipatum Cupresso, sed* Triumphalem *laudis & gloriæ Obeliscum, perennanti firmatum Cedro, Nomini consecrassem* Tuo. *Sed est & sua perennis gloria Mausoleo: Artemasia Regina Cariæ, cum per inuidam mortem iucundissimo mariti sui viduata esset consortio, in signū amoris (etiam post busta & Cineres durantis) & gloriæ nunquam intermorituræ, collectis è rogo Cineribus, & eisdem epotis, amplissimum Mausoleum, ac inter septem orbis miracula habitum, erigendum curauit. DIgna hæc Princeps æternitate, digna vt nunquam omnium seculorum posteritas, nominis illius non sit memor, quæ tanto in amore vitā sui mariti habuit, vt illi non tantū splendidum Mausoleum, quo semper in orbe viueret, spectandum posteris erexerit; sed etam intra vitam suam & viscera, longe excellentiorem Sarcophagum, viuâ constratum purpura, fecerit. Huius ego exemplo ductus* PER ILLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE. *Hoc qualecunq; Mausoleum (memoriæ tamen, & quod maius Czarnkouiano nomini excitatum)* ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ D. CATHARINÆ A LESZNO CZARNKOWSKA *Parenti* Tuæ *dulcissimæ, erexi, non è superbo marmore, nec è Migdonio elaboratum lapide, sed Magnificis virtutibus & heroicis facinoribus concinnatum, non Regis Cariæ Cineribus, sed Illustrissimæ, Palatinæ Leczycensi depositum Manibus. Suscipe ergo* PER ILLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE. *molem hanc Mausolei, excelsarum virtutum Illustrissimæ Parentis* Tuæ *elatam fastigio, Suscipe eò gratiori animo, quo maiori illam & post Cineres amore prosequeris.* Tuo *nomini est consecrata.* Tuo *patrocinio erecta. vt clarius & altius Sarmatico celebresceret orbi.*

M. V. Addictissimus semper
IOANNES THEOPH. ONISZEVVSKI.

ILLVSTRISSIMA

& Nobilissimis Maiorum inclyta Ceris

CZARNKOVIORVM

DOMVS

ILLVSTRISSIMÆ

PARENTI

MAVSOLEVM

Amoris & Gratitudinis æternum deponit.

HOC

Non ex Actæi dedolatū montis saxo nec marmoris Porphyretici elatū splendoribus, in spolium temporibus & ruinam aliquando venientibus, sed Amoris & Gratitudinis, æternum vitæ tribuentis, nulloque intercidentis termino, concinnatum parentatur, officio. Merito. Marmora vetustas exedit, inscriptio animorum immortalis est. Inscribit Amor. Nobiliori hic substructione, quàm lignis coactâ Cedrinis, & auro, Corinthiaco opere, interlitâ, solet contentari. Excellentiori Mausoleo, quam Romanis, siue Ægyptiis magnifice erecto honestari. Habet e cordium concatenatorum augusta compositione, exstructum palatium. Habet in pectoribus hominum, viuo é Corporis marmore efformatum Mausoleum.

In hoc non Narſis Orientalis Impery Ducis

Sed ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ

D. CATHARINÆ

A LESZNO

CZARNKOWSKA

Palatinæ Leczycenſis Cineres Depoſiti.

SPectabis hic non vexilla militaria, Aquilas, aut Auitas Maiorum imagines, in quibus tota Mauſolei conſiſtit gloria verū aureā Phænicē ſuo ſēper ſolitam concremari igne. Viuit hæc è ſuo Cinere & vitam ab igne reſumit. An non & Illuſtriſſima Parens Aurea veré Phænix perennem ab igne vitam reſumet? An non tot ſuorum flammis quot flagrantibus amoris & beneuolentiæ affectibus, æternum concremabitur. Fouent ignes ignem, vt ignito ſemper exardeſcant propter Phænicem aureæm Camino. Fouent Nobiliori nutrimento, quam odoratis fruticum aut lignorum frondibus, (vt olim Veſtæ ſuum) quia Amoris flamma ſapidiori longe alimento paſcitur. Fouent non in aræ ferreæ aut lapideæ vertice, ſed æſtuanti cordis & pectoris in altari. Hujus ignis incendio in Mauſoleo Amoris, Aurea & Illuſtriſsima Phænix æternū accenditur.

CLARIS Auorum Nobilis Ceris DOMVS
Decus Poloni Climatis
Non Surda vaſtam Sarmatum per orbitam
CZARNKOVIORVM Gloria.
Semper curules, purpuras ſemper ferens
Auguſta Fama Curiæ.

Semper

Semper Togatam splendida Poloniam
Ornans Honoris FASCIA.
Et fulguranti patrios Acinace
Tutata semper limites.
Et laude Magni ceu Camilli bellicâ
Virtute quærens gloriam.
Vidit disertum Roma quondam Tullium
Vidit parentem Patriæ.
Vidit disertos & Parentes patriæ
CZARNKOVIOS Polonia.
Videbit vltra? & eburneo latum vehet
Curru per orbem Gloria.
Sed semper alto nomini claram Tyche.
Nouerca laudem inuidet.
Et quod sub astra Gloria euehit, suo
Liuore prosternit Tyche.
Et quod perenni tempori illa construit
Hæc naufraganti euellit turbine.
Sic nunc dolosos fraudis astus inuida
Conata nuper edere.
Conata tenebris gloriam CZARNKOWII
Obnubilare nominis.
Et fulgurantem Sarmatis extinguere
Conata lucem FASCIÆ.
Sed non triumphos inde, non palmas tulit
Trophæa nec victoriæ.
Quod peruicaci fraude telluri abstulit
Astris polorum reddidit
Et quod Cupresso cinxit, hoc Delphica
Cinctura mox est laureâ.
Strauit Parentem, strauit & magnum decus
CZARNKOVIORVM Gloriæ.
Sed sæpè dulcis exit è vulnere salus.
Et sæpè Mors pellucidæ
Stipendiatur gloriæ; Iam cælici
Augusta Mater ætheris
Tholo refulget; iam renidentis poli
Stipata castris fulgidis.
Et vos auitæ gloriæ, & magnæ Domus
Relicta patriæ pignora.
Viuite perrenni tempore decora gloriæ
Vobis. Amicis. Patriæ.



ILLVSTRISSIMA

LESCZYNSCIORVM DOMVS

Nobilissimam Generis sui Wieniawam Caput nimirum Zubronis Antiquissimum Insigne, Mausoleo perennitatis affigit

HOC CAPVT EMPYREA PRÆFVLGET IAM ARCE ZVBRONIS.

Dum arce in stellimicâ conuiuia lauta parantur
Astriferis splendet Cælica mensa. Feris.
Corniger est Aries, Taurus quoq; Corniger; istis
Terribilisq; LEO, iungitur atq; Caper.
Defuerat tantæ tamen vna ferina ferinæ
Scilicet à celebri fortè ZVBRONE CAPVT
Tum Dapifer Cælestis ait. LESCZYNSCIA lustra
Pegmata, ZVBRONIS mox Caput inde feres.
Iuit; & optatam missus tulit inde ferinam
Ergo CAPVT, Cæli mensa, ZVBRONIS habet.

ILLVSTRISSIMA

OPALINSCIORVM FAMILIA

Honoris & Nominis sui NAVEM Mausoleo perennitatis deponit.

EMPYREO HÆC NAVIS LITTORE TVTA STETIT.

Thessalicam Nauem superans OPALINSCIA NAVIS
Sàrmatico semper docta natare mari.
TE pretiosus Honor, TE gloria sola gubernat
Est tua merx gladius. Purpura. Claua. Pedum.
O si tanta vehis LECHICO tua munera mundo
Et si tanta TVIS dona carina vehit.
Nonne tuâ poterit tutò CATHARINA BISONTIS
Ferre CAPVT puppi? Nonne locare polo?
Te si cum socijs habuisset fortis Iason
Velleris aurati certè adijsset opus?



ILLVSTRISSIMA

AVITÆ DOMVS PROSAPIA
Gentilitium ASINI CAPVT, Orbi Sarmatico clarissimum, Mausoleo perennitatis affigit.

EMPYREIS FELIX ASINVS GRASSATVR IN ARVIS

Bos simul, ingentis patiensq; laboris ASELLVS
Aequali semper gaudet vterq; iugo.
Ille trahit, trahit hic, graue curui pondus aratri
Ille vehit currum fortiter, iste vehit.
Si sic semper vterq; paris solet esse laboris
Eccur non debet muneris esse paris?
Iam video rutilus cœlestia prata pererrat
Bos, ASINVS terræ limina oberrat adhuc?
I socio lateri felix iungaris ASELLE
Si fueras comes hic, sis comes atq; polo.

ILLVSTRISSIMA

ABORIGINVM ET ATAVORVM DOMVS SAGITTAM é medio ANNVLI erumpentem & Cuspide suâ Cælos intuentem, Decus posthumæ ætatis, Mausoleo adijcit.

EMPYREVM RECTE TANGET ET ISTA SCOPVM.

Dum cita lunatus liquidam iacit arcus in æthram
Tela; suum tangit missa sagitta scopum.
Quid mirum? quam vis positam metam sibi tangat
Arcus enim Domini munia iussa facit.
At tu quam satagis præacutâ cuspide metam
Tangere; quem ferro pulchra SAGITTA scopum?
Lunatus siquidem video te deficit arcus
Tu tamen erectum tollis ad astra caput.
Tanges; non dubita: quod tangere ritè peroptas
Annulus est Arcus, iam tua Meta, Polus

DA
LE
CHIA
Locum &
tuo molẽ cõ-
plectere si nu,
Sed nunquã potest
nõ esse virtuti locus.
Quod tuo stat in solo
tuum est, & quod è tuo edu-
cis grẽmio, hoc in seras Olym-
piadas & perennantes Æternitatis
educas Myriadas. Non Arabici ony-
chis triginta duos alta pedes surgo co-
lumna, qualis Germanicis quondã fastigiata
Heroibus. Non Pharia turritæ Memphis or-
namentum, superaddita Mausoleis Pyramis,
qualis claræ Ægypti antiquissimis cõcinnata, & cæ-
los vertice suo tangens, incolis. Sed Heroicarum virtu-
tũ & facinorũ ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ D. CATHARINÆ
A LESZNO CZARNKOWSKA PALATINÆ LECZYCEN-
SIS parentor Moles. Hic me virtus, ipsa sibi Pyramis Obelisc⁹
æternũ stare iubet. Stabo, quia excitata Æternitati. tã diu? quã diu
me volẽt stare Superi. Hoc qui triangulare spectabis eundo marmor pu
ta triplici Amoris, Gratitudinis, Memoriæ erectum esse officio moni-
mentum. Puta funestæ Mortis Iconicam statuam. Vis plura? Puta Sarma
ticæ Parenti à Sarmaticis posteris vestigali parentatum more saxum.

O O
VIRTVTE ET MERITIS DIGNOS AD SYDERA TOLLO
VERTICE VIRTVTIS PRÆFERO SEMPER OPVS.

VERTICEM INÆTHEREAS
Excelsus vsque auras
Tollo Colossus
Nõ sculpta magni
Arma Gradiui
Non fulguranti
Parta triumpho.
Nec Dardanorum
Laude Quiritum
Collecta dulci
Gesto trophæa.
Sed candicanti
Orbe Polono
Virtutis almæ
Seu Pietatis
Seclo perenni
Fulgeo honore.
Æterna virtus
Quidquid in orbẽ
Educit, æuum
Stabit in ipsum
Quidquid superne
Euehit, istud
StabitColosso
Longius alto
Stabit perennius
Aere Corynthiaco

SONOH SITVTRIV IC SIC VIRTVTIS HONOS

SEM
PER
PE
TIT
AE
THE
RIS
AV
RAS,

ÆTERNIS VIRTVTIBVS
ILLVSTRISSIMÆ D.
D. CATHARINÆ
A LESZNO
CZARNKOWSKA
PALATINÆ LECZYCENSIS

SEM
PER
PE
TIT
AE
THE
RIS
AV
RASNEC

CEN
DE
CET
VT

EXCITOR COLOSSVS

DE
CET
VT

VILI GLORIA SERPAT HVMO MVH TAPRES AIROLG ILIV

D. O. M.

ET

Sarmatici Orbis Æuiternæ Gloriæ

Quisquis es

Siste gradum.

Magnos hic Cineres & Ossa Marmor tego.

Et quos superstites Augusta Lechici orbis gloria

Augusto nequibat complecti sinu.

Hos nunc

Angustus, angusto terræ in angulo

Tanquam spolium temporis

Angustat Sarcophagus.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ.

D. CATHARINÆ CZARNKOWSKA PALATINÆ LECZYCENSIS.

HÆC

Illustrissimo LESCZYNSCIORVM.

In LESZNO COMITVM

Profluens à Sanguine

Purpuram sui sanguinis

ILLVSTRISSIMÆ CZARNKOVIORVM Purpuræ

Nomen, Nomini.

Gloriam. Gloriæ.

WIENIAWAM FASCIÆ.

Connubiali iure.

Aeternum consecrauit.

NVNC

Magnificis plena virtutibus.

Eandem purpuram, ferali linteo.

Ruborem. Pallori.

Sanguinem, Terræ.

Vectigali mortis Iure

Adulta permutauit.

Anno Domini M. DC. XXXIX. Mense Iunij Die. xxix.



